



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Ex professione solemn.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT XXII.

Summa Prædictorum.

1. **E** Notatis jam omnibus Capitibus, unde oritur irregularitas, operæpretium est, ea hic uno intuitu collecta rescribere, eo prorsus ordine, quo in præcedentibus à me sunt explicata. Sunt autem decem & octo.

- 1 Corporis Infirmitas.
- 2 Mentis Alienatio.
- 3 Vitium Corporis.
- 4 Sexus Fæmineus.
- 5 Servitus.
- 6 Infamia.
- 7 Novitas in Fide.
- 8 Defectus Scientiæ.
- 9 Præva Baptismi susceptio.
- 10 Mala Ordinis usurpatio.
- 11 Homicidium.
- 12 Mutilatio.
- 13 Bigamia.
- 14 Natalium defectus.
- 15 Hæresis.
- 16 Obstrictum esse ratiociniis.
- 17 Paupertas.
- 18 Ætas Puerilis.

2. Quæ his quatuor versibus, rudibus sanè, sed ad memoriæ compendium accommodatis colligare volui.

1	2	3	4	5
Infirmitas.	Demens.	Vitiatus.	Fæmina.	Servus.
6	7	8	9	
Infamis.	Novus.	Ignorans.	Baptismate peccans.	
10	11	12	13	14
Ordine pecc.	Occidens.	Mutilas.	Bigamusq.	Notusque.
15	16	17	18	
Hæresis.	Obstrictus.	Pauper.	Puer.	exulat Aris.

CAPVT XXIII.

De cessatione Irregularitatis.

1. **I**n præcedentibus locuti sumus sæpè de ejusmodi cessatione, sed in particulari prout se se obtulit occasio, deinceps aliqua peculiaria capita, ex quibus irregularitas cessare possit, sunt exponenda.

Et sanè de quatuor solet esse tractatio, ex Baptismo, ex ingressu in Religionem, ex cessatione causæ, ex dispensatione. Nam de quinto, puta, ex assumptione ad Summum Pontificatum, dixi supra cap. 2. n. 2.

§. I. Ex Baptismo.

1. **A**io primo, irregularitatem ortam ex puro defectu, & sine culpa (excipiam modo num. 4. ortam ex defectu lenitatis) non tolli à Baptismo. Quare Bigamus, Illegitimus, Deformatus corpore, &c. etiam post Baptismum Irregularis est, quia Baptismus solum culpam, & deformitates ex illa pendentes diluit. An aliqua Bigamia, quæ oritur ex delicto deleri per Baptismum possit, vide Gibalin. de irreg. cap. 6. q. 2. n. 6. Avilam, & Henricum ab eodem citatos, aliosque.

2. Aio secundo, Irregularitatem, quæ ortam ducit à delicto, aboleri à Baptismo, nec illam solum, quæ immu-

diat à delicto est, irregularitatem, v. g. à homicidio injusto, sed etiam, quæ mediatur, qualis est ea, quæ oritur ab Infamia commissi delicti. Hæc est notior quibus, quæ in tradit Glossa, in C. Si quis emen. prima. num. 8. Reg. 13. confirmatque Gibal. aliquæ. Sicut enim delictum, ita & ejus infamia Baptismo deletur, quæ ipsam, tum peccatum deletur, tum ejus pena. Aliam viam idem confirmandi inquit Suar. de cens. d. 4. §. 1. n. 1. Tol. loc. cit. Sayr. de cens. lib. 6. c. 3. n. 27. Coniuncta de iur. diff. 18. dub. 8. n. 59. Farin. in frag. Irreg. n. 416. cum aliis, quod committentem delictum v. g. occidens alium injustè, non incurrere irregularitatem, quia juxta Ecclesiasticum non ligat eos, qui extra Ecclesiam sunt.

3. Aio Tertio, cum Diana p. 4. n. 2. ref. 51. Tol. loc. cit. cap. 3. n. 3. Henr. lib. 14. cap. 11. n. 2. Maiolo de irreg. lib. 5. cap. 11. contra aliquos relatos à Covarr. in Clem. Si quis p. 1. §. 7. n. 5. Sayr. de cens. loc. cit. Gibal. loc. cit. n. 6. Irregularitatem ex defectu lenitatis auferri à Baptismo, quod quid neget Hurtadus de irreg. d. 2. n. 63 apud Diana loc. cit. cum Vgolino. Ratio est, quia cum per Baptismum homo constituitur nova creatura, merito Ecclesia disposuit, ut ille expurgaret horem, qui ex sanguinis effusione in occisione concipiebatur. Ne igitur argumentis sic: Per Baptismum non tollitur irregularitas Bigamiae, quæ est ex defectu significationis Sacramenti, ergo neque irregularitas defectu lenitatis, quæ est ex defectu significationis lenitatis, quæ fuit in Christo, ne, inquam, sic argumenteris; in his enim, quæ sunt ex voluntate Legislatoris hic modus argumentandi non valet. Aliam magis eruditam solutionem tradit Glossa. C. deinde d. 26. V. Inter per. quam si lubet apud ipsam lege.

4. Contrahens tamen irregularitatem, in eo & quodlibet impedimentum in susceptione ipsa Baptismi, non potest ab ipso Baptismo, quia non debet ab Ecclesia respectare favorem, qui contra Ecclesiæ leges agit. Quia si quis extra necessitatem baptizaretur scilicet ab baptismo, non evitaret Canonicum impedimentum irregularitatis, quod in ea susceptione contrahitur. Legè citant.

5. Quid denique dicis ad sequentem casum? Petrus nondum Baptizatus propinavit Caio venenum, deinde Sacro Baptismo ritè lotus est. Sed accidit, ut post susceptum ab ipso Petro Baptismum, Caius ex allumpe veneno moreretur: et tunc Petrus tunc irregularis?

6. Respondeo. Erit utique, quia oculo tunc patet irregularitatem, quando homo moritur, sed in casu proposito Caius mortuus est, quando Petrus, ob Baptismum susceptum jam erat subditus Ecclesiæ; ergo, &c.

§. II. Ex professione solenni Religiosa.

1. **P**er hanc Professionem, nullam de jure irregularitatem deleri, tenendum est, præter eam, quæ est ex defectu Natalium eo modo, quo suo dictum est loco.

2. De consuetudine, quisque videat: quid in sua Religione sit legitime introductum? In qua re duo sunt explorata. Alterum, Religionis ingressum reddere faciliorem irregularitatis dispensationem. Alterum, dictam legem consuetudinem, si qua in Religione est, esse servandam. De qua sic habet Suar. de cens. d. 41. §. 1. n. 7. fin. Vbi fuerit talis consuetudo (loquimur autem de consuetudine, qua, quis liber intelligatur ab omni irregularitate) retinenda est, quia licet per se sola non valeat dare jurisdictionem; est tamen sufficiens signum potestatis concessæ, etiam si fortassè tunc de expresse privilegio non constet. Hæc Suarez.

§. III. Ex cessatione Causæ.

1. **D**ixi sparsim de hac in superioribus. Nunc breviter hæc habe compendiosius. Non est hic quæstio